





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-183298-p0002-3

DFG

13

# EPITHALAMION

## Lectissimis Sponsis.

*Antiquà Generis Nobilitate, Eruditione Praelata,  
Virtuteq; insigni conspicuo viro, domino  
FRIDERICO à SALHAUSEN: & Nobilissima  
pudicissimaq; virginī ELISABETHAE:  
Magnifici viri, Nobilissimi generis splendore,  
omni virtutum decore, eruditæ doctrinæ copia,  
Consilijq; prudentia & autoritate amplissimi  
domini ABRAHAMI BOCK in Cliphausen &  
Salhausen, primarij Illustriss: Principis ac  
Domini, Domini CHRISTIANI Ele-  
ctoris Saxoniae, &c. Consiliarij,  
Filiae dignissimæ, scriptum.  
7. Cal. Februarij*

A

Matthæo Meldnero  
Stolpensi.

Anno 1590.

Zt.

EPISTOLA  
STIGELIVS.

Coniugium humanæ quædam est Academia vitæ  
In qua nemo satis se didicisse putet.



DISTICHON

Anni, Mensis & Diei Arithmogamicum.  
**L**UX IanI IgnIferIs, bIIs IVnge, nItebat ab orIs  
Sena qVater, Sponso Sponsa MoDesta VenIt.

## EPITHALAMION.

Mirabar, deformis hyems dum protulit ora  
Pallida, frondentem terraeq; absunxit honorem,  
Doris amara suos dum congelat æquore fluctus,  
Cunctaq; tristitiam suppressa voce queruntur,  
Cur tamen arua, sono, circum niue sparsa resultent,  
Lætitiaq; nouus tollatur ad æthera plausus?  
Qualis vbi Sonipes, cautus quem struxit Epeus  
Illice, Pergameas fætus concendit ad arces,  
Vrbs se fatifero soluit Neptunia luctu,  
Clarisonoq; strepit fremitu reuolubilis æther.

Mirabar, subito vnde frequens concursus ad urbem  
Surgeret: vnde vijs fluenter longa agmina plenis,  
Quadrupedante putrem sonitu quatientia campum?

Mirabar tinctam Getulo murice vestem,  
Eois opibus grauidam & Gangetide gazam:  
Crebraq; consertis onerosa monilia baccis.

Cum propior citius æripedium venit ordo, meoq;  
Hæret in intuitu: Nitidas volat ante cateruas,  
Acer equo iuuenis, fausto quem sidere quondam,  
Vitales Genetrix lucis produxit in oras:  
SALHVSIO, quæris nomen? se nomine iactat,  
Nomine, cuius aulos atauosq; potentibus ausis,  
Qui numerare velit, velit & numerare sonanti  
Oceanus bibulas quas flumine voluit arenas.

Quem sese ore gerit? placido quem pectore? quem  
Et habitu, & vultu quem se velatus ameno?

A 2 Hunc

Hunc Phœbe aspiciat, Citharamq; arcusq; decoros  
Flauentesq; comas Fratri citò substrahet, oras  
Arctoasq; petens, Iuueni colludet ouanti. M  
Hunc Venus aspiciat, Myrrhæ formosa propago  
Effluet, & luctu despecta recumbet amaro.  
Sed Venus hunc videt alma, venit, venit ecce decenti  
Ad latus Aligero comitata Cupidine, gressu.

Fallor an offensam Iuno iam ponit quitam,  
Priamides quondam viridi quam mouit in Ida,  
Inq; tuas facie turmas conspirat amicas.

Fallor, an ore potens & Nobilitate resfulgens  
BOCCIADE Stua tecta petunt? Sententia constat:  
BOCCIADE Stuata tecta petunt? que causa? tuænè  
Ardor agit stirpis? nigri mouet inclita fati  
Nescia fama? mouet superi Reuerentia patris?  
Dexteritas rerum prudens? in fædere pacto  
Intemerata fides, & mens infracta laborum?  
Aut cupiunt varios populorum discere mores?  
Quodq; Liger Rhodanusq; solum: quam Sequana largis  
Ditet aquis terram: Fractas vbi in æquora sylvas  
Pinifero Eridanus Vesuli de vertice voluat:  
Vnde fluat Tigrisq; & frater Tigridis Arnis:  
Quâ se Parthenope, quâ se Florentia, quâ se  
Adriaci Regina maris, quâ sorte beatam  
Palladis hospitium se clara Bononia iactet?

Cuncta mouent: Nam Lernæi de sanguine monstri  
Ille satus, quem non virtus, velut agmine factor,

Tanta

Tanta *VIRI* traheret, trahit ut *Magnetica ferrum*  
*Gemma*, tuum retinens Mahomete nefande pheretrum.

Sed latet *vna*, mihi quam si *DEA* nona *Cohortis*  
*Causam aperis Clarie*, voti mibi summa peracta est:  
Cur *Lauro Viridante comas innexus adhaeret*  
*Agminibus*, *Citharamq; ferit Gryneus Apollo?*  
*Quid Charites? Tyrio quid Hymen sua tempora lino?*  
*Vinctus adest? Quid curua sono taratantara rauco?*  
*Tuné thori praeses connubia dulcia fancis?*

Vera loquar: Nunc causa patet: tibi *NOBILLE GERmen*  
*SALHVSIAE FRIDERICE DOMVS*, lux  
illa pudicis  
*Exoptata diu votis Lux aurea venit,*  
*Quâ tibi BOCCIA CA surgentem stirpe PVELLAM*  
*Eligis, vt tecum Pylios feliciter annos*  
*Exigat, & pulchra faciat te vrole parentem.*

FILA Clete, noVâ, MVsæ VoCaLIA, Sponsâ (Ce  
SponsVs oVat, resonâte sonent sVpero æthere Vo-  
Astra, thorVs nVptIs TyrlcqVIa sternIt Vr ostro,  
IVraqVe perpetVa genilaLIA Lege noVant Vr.  
Non magis admiror, mortales gaudia mentes  
Cur foueant, ac corda ciens insueta voluptas  
Crescat, & exiliant trepidis præcordia fibris:  
Cernimus æthereum radiati luminis orbem,  
Ut niteat, blanda vt teclius niue mitiget oras  
Temperie, vt cupido socialia fœdera vultu  
Aspiciens, roseo maturior exeat ortu,  
Et properante suos necat temone iugales.

Serior alatos vt gurgite tingat Ibero  
Phœbus equos, piceaḡ solum caligine cingat:  
Aeolus vt teneat ventorum immitia flabia  
Carcere, ne rigido stridentia turbine castæ  
Offundant flammæ tenebras, frigusq; reducant.  
Non niger vndisonas exæstuat Albis arenas,  
Albis Saxonicos inter pulcerrimus amnes:  
Sed noua vicinæ spectans connubia Nymphæ  
Lenifluos glauco renouat sub pectore motus.

Fila ciete nouâ, Musæ vocalia, Sponsa  
Sponsus ouat, resonante sonent supero æthere voce  
Astra, thorus nuptis Tyrio quia sternitur ostro,  
Iuraq; perpetua genialia lege nouantur.

ELISABETH A decus Generis, tibi sacra parantur;  
Rumpe moras, rubicunda nouo procede MARIPO:  
Ecce venit, calidoq; gerit sub corde sagittas  
Non Siculo Æneæ coxit quas frater in igne  
Sed Paradisiacis Genitor quas finxit in hortis.  
Has non Phyllirides, non clarus in arte Melampus  
Pæonia, Cressis non ipse Epidaurius herbis  
Extraxisse valet: Manet immedicable vulnus,  
Nî tua, SPONS A decens, manus, vt quæ talia fixit,  
Spicula Achillea rursus ratione renellat.

Candida, cerne, calor velut ora notauerit illi:  
Regius Oebalio ceu flos de vulnere dictus  
Aurea sanguineis luget per prata figuris.  
Rumpe moras rubicunda nouo procede MARIPO,

Ille

Ille tuos petet amplexus, iterata labellis  
Osculaq; impinget, placidam testantia mentem:  
Qualia nec castæ fert Latmius ipse sorori:  
Redde vicem: sic vos D E V S æthere nectet ab alto,  
Ogygio vritis veluti surgentibus vuis  
Chara seni, necti geniali assueuit ab ulmo.

Fila ciete, nouâ, Musæ vocalia, Sponsâ  
Sponsus ouat, resonante sonent supero æthere voce  
Astra, thorus nuptis Tyrio quia sternitur Ostro,  
Iuraq; perpetuâ genialia Lege nouantur.

S P O N S E veni tibi tecta patent generosa, quid hæres?  
Æquora ferrata Sonipes quid calce fatigat?  
Insultansq; ferox spumantia frena remandit,  
Huc obuersus & huc? nitidum quin linque Caballum  
Ocyus, & clarâ circum stipante Cateruâ  
VVitzlebicis gratus succede penatibus hospes.  
Afflit en plenis ceu riuis multa virûm vis:  
En studio effusæ matres, en crebra decentes  
Aspectura subit comitum Virguncula gressus.  
En tibi in occursum venit ELISA BETH A, paratum  
Successura thorum, toties quam mente petisti,  
Virgo venit tibi, Nobilibus stipata puellis.  
Qualis nubiferi cum per inga fulgida Cynthi  
Instaurat Latona choros, quām mille secutæ,  
Hinc atq; hinc glomerantur Oreades, ipsa fluentes  
In ventos effusa comas supereminet annos:

Talem

Talem se reliquas interfert SPONS A puellas  
Nobilis, atq; decus pompa Comitumq; relucet.

Fila ciete, nouâ, Musæ vocalia sponsâ  
Sponsus ouat, resonante sonent supero æthere voce  
Astra, thorus nuptis Tyrio quia sternitur Ostro,  
Iuraq; perpetuâ genialia lege nouantur,

Desine spes nimium lantas, iam desine longam  
Incusare moram, tenues ea cessit in auras:  
Grande moræ premium fers, SPONSE beate beatum  
Nobiscum partire diem, tibi dicitur VXOR  
VXOR digna quidem, quam per vada cœrula picta  
Classe Paris rapiat, vel turba Pelasga reposcat.

Aspice quantus honos frontis, quam mitis honestus  
Emicet ex oculis ardor: Quam gratia blandis  
Interfusa genis: Hic quam concurrat amico  
Fædere cum tenerâ Grauitas matura iuuentâ.

Aspice Sidonios stringit quos fibula cultus  
Nexilis, & flauos per Eburnea colla capillos.  
Omnia ( ne coner nexis comprehendere verbis  
Omnia ) collucent Tyrios imitata liquores.  
Ceu cum purpureos Thitonia fratre relicto,  
Mane nouo educit Nabathæo rure iugales,  
Concipit aut quales aduerso sole colores  
Nuncia Iunonis crocea circumdata pallâ:  
Aut veluti roseos ubi lauit in æquore vultus  
Luna recens, viresq; suo de fratre resumens  
Flammifero splendet cæli per cœrula cornu.

Tres

Tres Charites pinxit quondam manus emula Coi,  
Ni prius huic tetricæ secuissent stamina Parcæ,  
Iuncta foret BOCO simul hæc sata VIRGO parente,  
Pectora nec formæ cedunt: gratissima cœlo  
Huic infixæ sedet pietas: nuae pulchrior albæ  
Cum candore fides, puriç modestia cordis  
Tranquillant placidos illa sub iudice mores.

Fila ciete, nouâ, Musæ vocalia, Sponsâ  
Sponsus ouat, resonante sonent supero æthere voce  
Astra, thorus Nuptis Tyrio quia sternitur Ostro,  
Iuraq; perpetua genialia lege nouantur.

Quid memorem quo TE sectetur amore MARITVM  
FLOS GENEROSE? pari tecum feruore medullis  
Accipit, acceptum SOLI TIBI consecrat ignem.  
Si pudor impressos animo committeret auras  
Ferre sub aëreas sensus, ea sèpvis aures  
Iret ad impulsas tenui vox lœta susurro.  
O mea lux, mea fax, ô viuida vita, meum cor:  
Te sine dulce nihil, mihi te sine viuere mors est:  
Auxilio D E V S alme tuo mihi protege SPONSVM,  
Ut superet Priami senis & Neléidos annos.  
Vna dies ambos videat trabere aëris haustum:  
Vna dies ambos videat succumbere fatis:  
Vna dies ambos vrnâ nos contegat vna.

Qui poterit casti calor esse potentior ignis?  
Dulichium tanto Regem complexa fauore  
Penelope, quæ texta die sub nocte resoluit,

B Sollicitosq;

Sollicitosq; procos ita spe lactauit inani;  
Quaeq; suum fuso testata crux pudorem.

Talis adit legem thalami iam SPONS A iugalem  
SPONSE tui. Quoties non est numerare beatum?  
Cui tantis succincta bonis bona contigit vxor,  
Turbida que blandá curarum nubila voce  
Disicit, & fortis sociam se prestat acerbae.

Fila ciete, nouâ, Musæ vocalia sponsâ  
Sponsus ouat, resonante sonent supero æthere voce  
Astra, thorus nuptis Tyrio quia sternitur Ostro,  
Iuraq; perpetuâ genialia lege nouantur,

Est vetus, oraq; vox mortalia saepe pererrat:  
Fata regunt homines: Fato connubia fiunt:  
Credo faces fatis tibi iam flagrare maritas  
SPONSE animo claros non ementite parentes.  
Elysij primus Campi Paranympbus habendam  
Hanc tibi dat SPONSEM, veniens quam corpore virtus,  
Gratior è pulchro peperit; quam stirpis auitæ  
Splendor, & igniferæ laus vecta per atria sedis.

Ecquis enim superat te SPONSE celebrior? ecquis  
Sedulus Aonios hausit magis ore liquores,  
Voluit & integri spaciosa volumina Iuris.

Te voco Tyrigetum grato sata pingua fluxu  
Lambentem, SALA: Te testem voco parue, secantem,  
PLISNA, Medusæis accepta cohortibus arua;  
Et qui Lipsiacis spaciaris ELISTER in hortis,  
Te voco veliferis testem pater Albidos vndis,

Sub

Subsilens hederæ cultoribus , artis amatrix  
Leucoreas ubi pandit opes Tritonia pubi .  
Vos inquam testes voco , quanta euoluerit artes  
Ingenuas opera ; quanto fuligo labore ,  
Sæpe nigræ cæca huic sub nocte bibenda lucerne .

Si libet exactæ mores inquirere vitæ :  
Numina si Themidos quanto dignetur amore ;  
Si recti speciem queris , veriq; latentis  
Fontibus infossi terræ per viscera duc̄tis :  
Omnia SPONSE tuo sedem sibi figere gaudent  
Pectore , clarisonos & te duce ferre triumphos .

Non ego virtutes reliquias , non laude vehendas  
Enumerare queo dotes : non si mihi centum  
Guttura , centum obeant hæc & mihi munera linguae :  
Quicquid enim aspicio doctum sibi poscit Ulyssem ,  
Aut Pylium cultæ fundentem flumina linguae .  
Hinc sibi te Generum consciuit ab omnibus vnum ,  
BOCCIVS , atq; animi succensus amore sagacis ,  
Connubio iunxit NATAM propriamq; dicauit .

Fila ciete , nouâ , Musæ vocalia , Sponsâ  
Sponsus ouat , resonante sonent supero æthere voce  
Astra , thorus Nuptis Tyrio quia sternitur Ostro ,  
Iuraq; perpetua genialia lege nouantur .

Non hic SALHVSIÆ pando præconia STIRPIS ,  
Non genus , & quicquid consanguinitate verendum  
Lex facit & legum vinclo præstantior omni ,  
Naturæ tacitos agitans Reuerentia sensus .

B 2 Ecquis

*Ecquis enim, nisi Lethæo cui tincta liquore  
Ora madent, cretos generoso sanguine nescit  
Præstantes virtute viros? Quos gloria penit  
Haud solui metuente super rorantia vexit  
Astra: Sophocleo quos digna loquela cothurno,  
Et quos magnanimos spirantia pectora motus,  
Iudicijq; vigor, sublimi sede locarunt?*

*Johannes  
Jextus a  
Salhausen  
Episcopus  
42. Mis-  
nensis.  
Obiit Stolpe-  
na Anno  
1518. 9.  
Aprilis  
Wurzenae  
verò sepul-  
sus.*

*Vnus erit cunctorum instar memorandus, ad urbem  
Mysidos, ut medio, qui, lecta sub æquore gemma,  
Quam fuluo inclusit manus ingeniosa metallo,  
Fulgit, & ardentes pietatis ab ore fauillas  
Vibravit, triplicijs genus subuexit in orbe.*

*Huic simul, ac teneris primum vestigia plantis  
Institerat, cupido calor impulit impete mentem;  
Flectere ad obsequium residentis in æthere vitam  
Numinis: ingenuas summis conatibus artes  
Imbibere, & celeri fastigia scandere gressu,  
Aurea pandit iter rigido quæ tramite virtus.*

*Creuit amor recti, creuit sapientia, creuit  
Pegasiei pia cura gregis: Iuuenilia sensim  
Assumpsere suas quantum præcordia vires:  
Atq; nouas erat hic semper fas cernere dotes.  
Fonte Bohemiaca primum velut ortus in oris  
Albis it exili sulcans sata pingua riuo:  
Hinc mage labendo circum auxiliaribus vndis  
Auctus, latifluo viator se gurgite pandit.  
Sic virtutum illi cum tempore creuit aceruus.*

*Ergo*

Ergo MISENA tuæ ditionis EPISCOVS, aut  
Iactat in aëreâ sese, qua STOLPIA celsis  
Atria iuncta minis saxis fundata resurgent.

Hoc duce Cimmeria pietas prius obsita nocte  
Extulit ægra caput, sensimq; vigore recepto  
Ausa fuit Latij se lege resolucre Laci.

Tempora quippe gerens, longo cum syrmate rasa  
Tetzclius, latro, lurcoq; & fœdus adulter  
Fronte carens: Quem non benè sano turgida fastu,  
Gloria ventosis sublimem euexerat alis:  
Vndiq; vesanis fatuum rumoribus orbem  
Implerat: Papæ iam plenis numina velis  
Nummifero (mauis nisi Tartara) aperta popello:  
Largiflui loculos qui frena resolueret æris  
Purgatricem illi flamman lustralibus vndis  
Extingui, bullis minui, missisq; leuari,  
Atq; relegatos cœlesti à limine manes  
E piceo migrare lacu mercede solutâ.

Vide lib. I.  
Chronicorū  
Misnensium  
M. Petri  
Albini, pag.  
342.  
Impressum  
Dresda,  
Anno 1590

PRÆSVlis hæc cum SALHVSII venere sub aures  
Ingemuit miserans grauiter: Cur fronte pudorem  
Excudit heu nimium, Capitoli immobile saxum  
Qui colit? ab nummis quî tanta potentia inesset  
Ut traherent calidus coctas fornacibus ymbras?  
O stolidas hominum mentes, ô pectora cæca,  
Quæ iuuat argentum grauidæ committere cistæ,  
Cuius ad ingressum nulli referabilis extat

Tanua: Muneribus ne fidite, munera cœlum  
Claudere ceu nunquam, nunquam sic pandere possunt,

O pia vox, ô digna notis quam signet abenis  
Herbosis, vates, quem Minci aluere sub antris,  
Et Clarios succos instillauere Camœnæ.

Hic vir erat talis, qualem Rex ætheris alti,  
Rarò dat humano generi, terrisq; potiri.

Hic vir erat, qui SALHVSIÆ prælustria stirpis  
Ornamenta suæ latè virtute parauit.

Sed tibi cur proauis decus accumulare labore  
SPONSE, Genus, generis laudesq; extendis auitas  
Ipse, tuaq; magis virtute, ac sanguine fidis.

Nam quid' Equis tibi profit iners? quid inutilis armis?  
Bellatore licet iaetet se patre creatum:  
Ni quoq;, cum forsan contortis ferreus hastis  
Horret ager, campiq; armis fulgentibus ardent,  
Alitis in morem, aut tormento ponderis acti  
Protinus in densos pede præpete cursitet hostes.  
Sic generis iaetare decus, numerare priorum  
Virtutes, nec ferre suose stemmate dignum  
Exiguæ esse putas, VIR præstantissime, laudis.  
At genus & proauos, & fastis inchyta stirpis  
Exornare suæ claris monumenta repertis,  
Et virtute magis niti, quam sanguinis ortu  
Nobilitatis opus veræ est, nomenq; meretur.

Fila

FILa Clete, noVâ, MVsæ VoCaLIA, Spons<sup>s</sup> (Ce  
SponsVs oVat, resonâte sonent sVpero æthere Vo-  
Astra, thorVs nVptIs TyrIo qVIa sternIt Vr ostro,  
IVrâq Ve perpetVa genIaLIA Lege noVant Vr.

Sed sonitus quem calce mouent, quem naribus efflant  
Æripedes, clamorq; virûm clangorq; tubarum  
Plura referre vetant. Concordi copula nexu  
Chaoniæ, maneat, qualis solet esse volucris.

Turtur in aëredâ, residens, plaudentibus alis  
Gaudet ouatâ, sue conspectu coniugis, vlno:  
SPONSÆ suo SPONSO, SPONSVS concorde

### MARITÆ

Gaudet, & dulci stillent præcordia sensu:  
Flebilis afflicto mæret cum Turture Turtur  
Alter & alterius duræ leuat omnia fortis:  
SPONSÆ leuet SPONSI curas, SPONSÆ  
que dolorem  
SPONSVS, amica ferens blandis solatia verbis.


Ac Hedera infirmis veluti consurgit in altum  
Frondibus, & tenero serpens in robora flexu  
Se magis insinuat, firmisq; amplexibus hærens  
Emicat, & medio coniuncta triumphat olympo:  
Haud secus imperio assuescat nunc SPONSÆ iugali,  
Moribus & SPONSI mores inuitet amænis:  
HOC se se exhibaret, velut HAC sibi in ARBORE fixam  
Esse putet sedem, pariter quâ surgere possit,

Et

*Et clara firmare thori noua iura mariti,  
Progenie teneris quæ colla amplexa lacertis  
Discutiat blando curarum nubila risu?*

*Deniq; tot vestris, S P O N S I, tot commoda tædis  
Eucniant, maris Ionij quot in æquore Conchæ:  
Sicanio quot apes passim sub colle vagantur.*

*Vota valent: Oculis coniubia spectat amicis  
Iuncta D E V S: Commota fremant læto atria plausu.*



DRESDAE:  
Typis Gimelis Montani.

1590.

18. Nov 1996

Nh 1217



TA → OL



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Black

3/Color

White

# EPITHALAMION Lectissimis Sponsis.

Antiquà Generis Nobilitate, Eruditione Præclarà, Virtuteq; insigni conspicuo viro, domino FRIDERICO à SALHAUSEN: & Nobilissime pudicissimæq; virginì ELISABETHÆ: Magnifici viri, Nobilissimi generis splendore, omni virtutum decore, eruditæ doctrinæ copia, Consilijq; prudentia & autoritate amplissimi Domini ABRAHAMI BOCK in Cliphausen & Salhausen, primarij Illustriss: Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI Electoris Saxoniae, &c. Consiliarij, Filiæ dignissimæ, scriptum.  
7. Cal. Februarij

A

Matthæo Meldnero  
Stolpensi.

Anno 1590.

Zl.

13

